



9310 24
1778 8

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
**GEORGIVS STEPHANVS
WIESANDIVS D.**

PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGII IVRECONSULTORVM ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.



ORDINIS AVICENNAE
ACADEMIA AVICENNETERGENSIS
DE DECANIS
GEORGIA STRABHANIUS
MIENSANDIUS D
PROLATOR INSTITUTIOVM ORDINARIAS
CVRIAE PROLATORIS DE HANAVATA ADOCTA
COLLEGIUM IURIS CONSULTORUM VASSILLATOR
PREFECTUS TUNNIVOLO



Quo plura commoda ex matrimoniis fortunatis in unius
uersam redundant rempublicam, eo maiora e contrario incommoda ex iisdem, si non feliciter cedant, vulgo oriuntur. Vti igitur illa omnibus modis suadenda atque augenda sunt, ita vero haec summo studio vitanda et cauenda erunt. Sapienter prosector Duarenus in *commentar. ad Tit. D. solut. matrimon. dos quemadmodum petatur ita philosophatur: quoties iusta aliqua ratio suadet, et re ipsorum contrahentium non fore conjunctionem, veluti quia periculum est forte, ne perpetuum inter eos odium atque dissidium sit, index ad dissoluenda sponsalia, quam ad eos matrimonio iungendos, propensior esse debet.* Hoc vero consilium esse valde fructuosum, idque iuri cum diuino, tum humano conuenire optime, dum de repudio ob metum mali matrimoni, quaedam exponere instituimus, breuiter ostendemus. Repudium hic strictius pro dissolutione sponsaliorum firmorum et recte contractorum accipimus, quo quidem sensu iam olim

a 2

hoc

hoc verbum saepe fuit usurpatum. *L.* 101. §. 1. et *L.* 191. *D.* de *V. S.* Malum vero matrimonium nobis illud esse viderur, in quo ea animorum coniunctio, quae ad alendum et sustentandum amorem coniugalem est maximopere necessaria, haud inest. Cum vero omne matrimonium, siue ius diuinum, siue humanum respicimus, arctissimam vitae societatem contineat, facile profecto apparet, eius felicitatem maxime pendere a grata coniugum concordia, quae diuersa eorundem consilia amicis vinculis copulat. Quodsi igitur post sponsalia contracta aliquid incommodi obuenierit, quod istam, quam desideramus, concordiam turbet, atque amicitiae coniugali prorsus repugnet, non est dubium, quin connubium futurum, odii et dissidii plenum, caendum sit. Sed, vt nostram opinionem paullo luculentius explicemus, non erit inutile diuersi generis iura inter se comparare, simulque varios populorum mores intueri. Ius naturale licet sollemnitates sponsaliorum rite ineundorum caerimoniasque nuptiales ignoret, animorum tamen voluntatumque confessionem in matrimoniis, tamquam virtutem ad finem propositum recte assequendum maximopere necessariam desiderat. Quodsi igitur is, qui promisit matrimonium, fidem datam praestare recuset, vel turpes mores sectetur, vel in eiusmodi conditionem, quae amori coniugali impedimento est, incidat, ea pars, cui facta est promissio, a pacto antea initio recedere potest. Ita iam calculos subduxit Pufendorfius de
iur.

iur. natur. et gent. *Libr. 6. cap. i. §. 20.* cui quidem comitem adiungimus Grotium, qui in aureo opere de *iur. bell. et pac.* *cap. ii. §. 6.* contendit, promissionem, quae certa facti aliquius praesumtione nititur, tunc, si factum praesumtum aliter se habeat, vi obligandi esse destitutam, vt ideo regula, quam Henric. Brouwer de *iur. connubior.* *Libr. I. cap. 25, 9.* tamquam praeceptum commune tradit, scilicet toties esse repudio locum, quoties post contracta sponsalia eiusmodi incommodum obveniat, quod repudiantem, si antea sciuisse, a sponsandis nuptiis procul dubio deterruisset, fundamentis aequitatis naturalis omnino innitatur. Nec dubitandum, quin omnia ea, quae ipsum matrimonium secundum ius naturale tollunt, etiam sponsalia soluant, cum ob fauorem liberorum et comprimentam libidinis nimis vagae licentiam, longe facilior sit sponsaliorum, quam ipsius matrimonii dissolutio. De caussis diuortii naturalibus exponere a nostro instituto alienum est, quas quidem Gribnerus in *princip. iurisprudent. natural.* *Libr. I. cap. 8. §. 4, 3.* et Moshemius in *commentat. de diuort.* *§. 4.* data opera explicarunt. Apud Hebraeos sponsalia ob perfidiam, natam postea inimicitiam, metumque matrimonii minus beati, fuisse distracta, eo confidentius asseueramus, quo certius iam a viris doctissimis probatum est, eorum moribus ipsa diuertia haud fuisse rara. Conferatur Io. Seldenus de *uxor. Ebraic.* *Libr. 3. cap. 17. seqq.* et in primis Celeberr.

a 3

Io.



Io. Dauid. Michaëlis in *iur. Mosaic. Part. 2. §. 119. seqq.*
 Iure quidem Romano ex sponsalibus recte initis, firma nasci-
 tur ad matrimonium contrahendum obligatio. Sed ipsa, quae
 olim inde descendebat, actio ex sponsu, cuius quidem indo-
 lem optime describit Gellius *Libr. 4. cap. 4.* satis ostendit,
 eum, qui fidem datam recusauerat, non vlla vi ad matrimo-
 nium perficiendum compulsum, sed tantum obstrictum fuisse,
 vt propter repudium ex caussa minus iusta factum, damnum
 inde datum resarciret. Sponsalia vero mutuo pacifcentium
 consensu tolli potuisse, dubitare nos haud finit *I. 1. C. de*
sponsal. licet haec libertas, vti ex *I. 5. eiusd. Titul.* cognoscitur,
 postea aliquantum fuerit restricta. Quod si quis eas
 caussas, ob quas Imperator Iustinianus in *Novell. 117. cap. 8.*
seqq. cum viro, tum mulieri, diuortium permisit, accuratius
 secum reputauerit, facile profecto intelliget, sponsaliorum
 vim nullo propemodum negotio fuisse fractam. Morum
 quidem turpititudinem, quin fortunae et status mutationem,
 iustas repudii caussas fuisse habitas, Harmenopulus in *promi-*
tuar. iur. Libr. 4. Tit. 1, 29. seq. satis testatur. Quin na-
 tiones Germanicae, licet pactorum fide nihil existimauerint
 esse sanctius, matrimonia tamen inuicis haud esse imponenda,
 non temere sibi persuasere. Etenim ex *leg. Alainor.*
Tit. 53. apparet, eum, qui sponsam vlo vitio haud conta-
 minata ideo, quod aliam seminam magis amasset, dimise-
 rat,

rat, mulcta tantum XXXX. solidorum suisse affectum, cuiusmodi sanctio quoque in *leg. Bainuar.* *Tit. 7. cap. 15.* deprehenditur. Ipsa vero matrimonia, bona coniugum gratia, vel ob peregrinitatem, viliorem alterius coniugis conditio nem, caussasque saepe leuiores suissa distracta, pluribus monstrauit Heineccius in *element. iur. German. Libr. 1. Tit. 14. S. 324 seq.* Sed haec non eo consilio adduximus, ac si repudia ex caussa leuissima permittenda esse, crederemus, sed ut duntaxat odium variarum gentium in matrimonia minus commoda, ostenderemus. Magna certe cautione in repudio decernendo opus est, ne vel seueritate, vel lenitate nimia, peccemus. Sponsalia quidem secundum regulas pactorum sunt diiudicanda, sed, cum viam ad indiuiduam vitae consuetudinem patefaciant, haud temere ea crunt rescindenda. Quodsi inimicitiae inter despontatos exoriantur graues, omnem quidem operam dabit iudex aequitatis studiosus, ut ii sibi reconcilientur, atque in amicam reducantur concordiam. Si vero nihilo feciit ii intestina odia alere pergent, mutuo dissensu sponsalia, vti Boehmerus in *iur. ecclesiast. protestant. Libr. 14. Tit. 1. S. 163.* et Leyserus in *Specim. 295. Meditat. 1.* bene monuere, erunt soluenda. Fac vero, vnum despontatorum propter vitia corporis celata, in alterius odium incurrere, vel cum mores mutasse, ita vt alterius animus ab eo fuerit prorsus abalienatus, alter ad matrimonium cum ea persona



sona, cuius iustum odium excitauit, contrahendum, compellendus haud est. In hanc sententiam exstat Innocentii III. in c. 2. X. de sponsalibus sanctio. Certe in sponsalibus semper clausula, rebus sic stantibus, tacite est subintelligenda, ita ut secundum c. 25 X. de iure iur. vel a pacto sponsalito iurato recedendi potestas adhuc concedatur, dummodo talis mutatione superuenerit, quam si pars altera tempore sponsaliorum sciuisse, in eadem non consensisset. Videatur illustr. Georg. Ludov. Boehmerus in *princip. iur. canon. Libr. 3. Sect. 2. Tit. 3. §. 393.* Sed hic obuiam eundum est censoribus nimis feueris, qui non solum iuri humano, verum etiam religione christiana morumque honestati repudia esse contraria, aliis persuadere volunt, vel saltim ea regulis diuortii aestimanda esse, ducunt. Primo quidem ad ius Romanum provocant, secundum quod consensus, non concubitus, facit nuptias. *L. 30. de R. I.* Deinde ad c. 5. sqq. *Cauff. 27. quaest. 2.* confugiunt, ubi desponsati appellantur coniuges. Porro auctoritate codicis sacri, et quidem iis, quae apud Matthaeum cap. 19. v. 6. leguntur, se tueri cupiunt. Denique mores bonos facile repudiorum frequentia corrumpi, aiunt. Sed haec argumenta breuiter diluamus. Regula iuris Romani, consensum facere nuptias, non sic est interpretanda, ac si solo consensu ipsae nuptiae perficerentur. Etenim hoc placitum respicit in primis ad mores Romanorum, quibus concubinatus

binatus impune tolerabatur, vbi saepius videbatur incertum,
 num ea; cum qua quis aliquamdiu commercium habuerat,
 vxoris, an concubinae loco esset. Tunc vero animo et con-
 sensu in matrimonium declarato, vxor a concubina diserne-
 batur. Etenim sponsa a nuptia multum differt, vti ex *I. 45.*
§. 4. D. de rit. nupt. et I. 5. D. de donat. inter vir. et uxor.
 cernitur. Sponsus nondum mariti iure fruitur, nondum ex-
 ercit potestatem maritalem, neque sponsam alere debet. Ne-
 que olim sponsa prius, quam in domum mariti fuisse deducta,
 vxor efficiebatur. *L. 15. D. de condit. et demonstrat. Locus*
 ex iure pontificio adductus quidem ostendit, quosdam patres
 ecclesiae et pontifices statuisse, desponsatos esse coniuges.
 Sed haec opinio certis rationibus non nititur, et, quantum
 ad ius pontificium attinet, vnicore est restringenda ad eos, qui
 sponsalia de praesenti inierunt. Consulendum est hic Gonza-
 lez Tellez in *commentar. ad c. 2. X. de sponsalibus.* Discri-
 men vero, quod iure canonico inter sponsalia de praesenti et
 de futuro, traditur, litteris diuinis prorsus est incognitum,
 neque hodie amplius inter pontificios visitatum, vti saepius
 laudatus Boehmerus in *institut. iur. canon. Libr. 4. Tit. 1.*
§. 4. obseruauit. Adde Stryckium de *diffens. sponsalit.*
Sect. 1. §. 22 seqq. Utinam nostri homines a distinctione
 ista incommoda, quae multos periculosos errores peperit,
 prorsus abstinuissent! Iure vero pontificio sponsalia ab ipsis

b

nuptiis

nuptiis clare satis discerni, ex c. 3. *Causs.* 30. *quaest.* 5. *luculent* perspicitur. Quae apud Matthaeum in *loco* superius *excitato* traduntur, ea ad ipsos coniuges, neutiquam vero ad *desponsatos* pertinent. Denique inde nihil decidere arbitramur bonis moribus, si matrimonia iurgiorum plena; quantum fieri potest, caueantur, praesertim si *desponsati*, vti hodie fieri solet, non suo arbitrio, sed causa prius cognita, atque iudicis auctoritate rite interposita, seiungantur. Anima matrimonii est voluntatum consensio, sine qua matrimonium bonum ne fangi quidem potest. E contrario in matrimonio malo insunt omnia incommodorum genera, contumeliae, rixae, verbera, quin saepius infidiae vitae structae, vti tristi exemplo probauit Stryckius de *dissens. sponsalit.* *Seet. 2. §. 8.* cum quo comparandus est Iacob. Carol. Spener in *diff. de iur. repudior. in primis ex implacabilis causa odii* §. 12 seq. et Berger. in *Elec. process. matrimon.* §. 20. Nullo igitur modo probamus sententiam Carpzouii, qui in *iurisprudent. consistor.* *Libr. 2. Tit. 10. def. 178.* statuit, repudia duntaxat ob crimina maiora, quae infamiam afferunt, non vero ob minora, quibus poena imminet extraordinaria, esse permittenda. Quid enim tunc fiet, si alter *desponsatorum* iam odio ex delicto nato, delinquentem persequi coeperit? Num inuitum obtorto collo in matrimonium tamquam in pistrinum rapiemus, cumque infestas sibi personae

in

in societatem odiosam adiungemus? Sed non est, cur hodie amplius hacc mala tantopere pertimescamus, cum iudices ad dissoluenda sponsalia ideo, quoniam matrimonia haud feliciter esse cessura, prospiciunt, longe propensiores, animaduertamus. Egregia exempla hoc pertinentia iam collegit Andr. Beyerus in *addit. ad Carpzovii iurisprudent. ecclesiast. ad Libr. 2. def. 176. seqq.* cui adiungimus Illustr. Pusendorfum in *obseruat. iur. vniuers. Tom. 3. obseruat. 166.* Injurias verbales, quibus delicta turpia alteri obiciuntur, hodie repudio locum dare, certum est. Sic Illustr. Hommelius in *rhapsod. quaest. in foro obuenient. obseruat. 400.* testatur, Iureconsultos Lipsienses sponsalia ideo dissoluisse, quod sponsa probasset, dixisse sponsum: sie sey ihres Dienstes herrn Hure gewesen. Huc quoque referenda sunt verba contumeliosa, ad alterum desponsatorum contemnendum spectantia, de quibus adeundus Bergerus in *Oeconom. iur. Libr. 1. Tit. 3. §. 7.* et Stryckius de *dissens. sponsalit. Sect. 3. §. 42.* Adiungere hic iuuat singularem speciem, quae a Consistorio Osnabrugensi anno 1774. Iureconsultis Vitembergensibus fuit oblata. Quaedam puella rustica spe matrimonii promissa pellecta, se vitiari passa fuerat. Postea, partu edito, aduersus supratorem actionem instituit, atque, ut is magistratus auctoritate ad matrimonium copula sacerdotali perficiendum, compellatur, sollicitis precibus petit. Lis ei ex voto successit.



sit. Etenim cauſſa ita ſuit deciſa, vt reuſ matrimonium, vti ſluſprata peticerat, perſicere deperet. Is vero contra hanc ſen-tentiam iuterponit remedium diſtioniſ nullitatis ſue iniuſtitiaſ. Grauamina allata nobis quidem viidebantur ſtruola. Cum vero poſt publicatam ſententiam, teſte quodam ſacerdote pa-gano, ea haec verba impia, ſie möchte wohl ſagen, daß Gott mit ihm nicht mehr zu ſchaffen hätte, als mit einem Hunde, reo praefente, enunclauerat, is quidem in remedio iuterpoſito, hoc dictum tamquam iniuria plenum, maxime vrgebat, ſimul que, ſe toto animo ab improba femina abhorreve, ſerio con-ſirmabat. Nos igitur priorem ſententiam quidem coniurauimus, addita tamen declaracione: es fiduice und wollte dem Be-klagter mittelſt Eydes erhalten, und, daß Klägerin die No. 88 Actor. angegebene Neden, bei der No. 60 Actor. angezeigten Gelegenheit, wirklich geſprochen, ſchwören, auf ſolchen Fall erz-gehet in der Sache ferner, was Recht. Rationes huic pertinen-tes ita expreſſimus: im übrigen, da Beklagter behauptet, daß Klägerin die No. 88 angegebene Neden, welche allerdings für ſehr ehrenrührig zu achten, wirklich geſprochen, auch anbey, daß dadurch eine groſſe Abneigung wider ſelbige in ſeinem Ge-müthe erreget worden, verſichert, ihm deren eydliche Beſtärkung nachzuläſſen geweſen, und dieses um fo mehr, weil er diesfalls das No. 60 ertheilte Pastoral - Attestat für ſich hat, der Haupt-zweck der Ehe alſo demn, wenn die Gemüther der Cheleute gegen einan-

einander aufgebracht und mit Hass und Widerwillen angefüllt sind, nicht wohl zu erreichen steht, und jedes Eheversöhnß die Bedingung, daß erne nicht die Umstände derer Verlobten sich verändert, daß die Hauptabsicht des Ehestandes nicht erfüllt werden kann, stillschweigend in sich fasst ic.

Ceterum maximopere commendamus ea, quae de repudiis pulcre praecepit Meuius *Part. 4 dec. 43. seq. et Part. 6 dec. 226.* nostraque commentationis consilium sine ylla mōra exequi cupimus. Indicandi scilicet sunt honores, quos ab Ordine nostro sibi expetiit,

Candidatus praestantissimus doctissimusque,

IOANNES GOTTLLOB HENNIGIVS,
qui vti iurisprudentiae recte discendae praeclaram operam nauauit, ita iam aliquamdiu praxin forensem cum laude exercuit.

De vita studiisque suis ipse sic exposuit:

Ego *Iohannes Gottlob Hennig*, Cunewalda Lusatius, natus sum Decembri mense anni 1749. parentibus honestis, adhuc viuentibus, Ioanne Georgio, et Anna Maria Vogelia. Quodsi eos carissimos habere debemus, a quibus nobis vita ac liberalior educatio tradita est, maximum merito iudico, quod parentibus optimis debeo, qui in me a primis annis curam beneficiaque, quae in ipsorum fortunae mediocritatem cadebant, liberaliter contulerunt. Ut primum ex pueris excessi, tam religionis, quam litterarum principiis imbutus, Gymnasium, quod Budissa floret, frequentau. Ibi habui

b 3

prae-

* * *

praeceptores, doctrina maxime insignes, ROSTIVM Rectorem grauissimum, qui luculentissima documenta benevolentiae atque amoris mihi edidit, quorum memoriam omnino iucundissimam nulla vñquam ex animo meo extinguet obliuio, COBERVM Conrectorem, FABERV M Subrectorem, PETRI Cantorem, RAVSENDORFFIVM et DEMVTHEVM, quorum virorum clarissimorum tum eximiam docendi rationem, tum mansuetudinem atque dexteritatem, gratissimo animo, dum viuam, prosequar. Confecto anno aetatis XXI. ex consilio et voto parentum, Vitebergam, musarum sedem celeberrimam, petii, atque e virorum amplissimorum lectionibus proficere studui, vbi die XVI. Maii anno MDCCCLXXII. ab Rectore tum magnifico CAROLO DANIELE FREYBERGIO in numerum ciuum litteratorum adscriptus sum. Primo quidem philosophiae studiis animum praeparatus, HILLERV M audiui, omnes eius partes pertractantem, eundemque Grotium de veritate Religionis christiana interpretantem frequentaui. Neque humanitatem neglexi, qua seuerior doctrina ornatur, ac SCHROECKHIO, Horatii Odas explicanti, operam nauau. Ritterus beatus rerum gesclarum notitiam prudentiamque ciuilem cum iure naturae mihi tradidit; sicut ab EBERTO mathesin, a TITIO Physica accepi. Tum deum cum rerum diuinarum atque humanarum notitia iusti atque iusti scientiam copulau, scholasque adii virorum illustrium, et fama meritisque ornatissimorum, WERNSDORFFII in historia juris, HOMMELII in iure ecclesiastico ac digestis, KÜGELII in iure Germanico, exercitationibus disputandi, atque in bene apteque concipiendis relationibus ex actis publicis, formandisque sententiis, REINHARDI in iure clientelari, prudentiaque causas agendi, WIESANDII in Institutionibus, iure naturae arteque disputandi, FISCHERI in iisdem institutionibus, modoque causas in foro agi-
tandi

tandi, PAVLI in digestis, KRAVSII in iure criminali et methodo,
qua caussae in iudicio perorantur, CHLADENII in iure publico et
canonico.

Quibus perceptis doctrinae partibus, ante biennium explorationem Candidatorum subii, et collegii iudicio probatus, cum scientia iuris vsum junxi, usus duce FRANCKIO, viro consultissimo, ac principe caussidicorum Vitebergensium, qui me tanta fide, tanquam humanitate ad interiores fori recessus perduxit, ut gratias satis dignas ipse referre nunquam possim. Ex hac enim disciplina quantos fructus percepimus, magna cum voluptate cognoui, ex quo ad forum accessi, variasque caussas tractavi. Nunc in eo sum, ut summos in iure honores capessam, quibus ut me ordo illustris honestet, suoqne fauore in posterum quoque tuendum suscipiat, ea, qua par est, obseruantia rogo.

Cum igitur noster Candidatus in examinibus, more maiorum cum illo institutis, doctrinam, qua pollet, Ordini nostro luculenter probauerit, summos in utroque iure honores tamquam praemia eximiis virtutibus debita, ipsi merito decreuimus. Quos quidem ut rite consequatur, disputationem inauguralem, proximo die Luna, qui est XXII. Iunii, Praeside Viro Illustri atque Iurisconsultissimo, GEORGIO FREDERICO KRAVSO, Iuris utriusque Doctore, Codicis Professore publico ordinario, Curiae provincialis, Consistorii ecclesiastici, Scabinatus et Facultatis iuridicae assessore, Collega meo coniunctissimo, de prudentia legislatoria in permittendis diuertiis, publice defensurus est. Hunc actum sollemnem

* * *

lemnem ut Rector Academiae Magnificus, Illustrissimus Comes, Perillustris Liber Baro, Proceres academiac, omnes diuinae humanaeque sapientiae Doctores, nec non Generosissimi ac Nobilissimi academiae Ciues, honorifica praesentia ilustrare grataque frequentia condecorare velint, cum Collegii nostri, tum meo nomine, obseruantissimis precibus oro.

P. P. Dom. I. post Trinitat. A. S. R. cIcCCLXXVIII.

VITEBERGAE
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.



ULB Halle
002 265 427

3



(f) 56.



B.I.G.
Black

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
0	
Inches	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

Farbkarte #13



ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

GEORGIVS STEPHANVS
WIESANDIVS D.

PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS
CVRIAIE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGII IVRECONSVLTORVM ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

